Liebenow

PROGRAMME

D'INVITATION

À

L'EXAMEN PUBLIC

DU

COLLÈGE ROYAL FRANÇAIS

FIXÉ

AU

3. OCTOBRE 1838.

Liebenow

De Belli ~~Sertorii~~ Causis et Origine

BERLIN.
IMPRIMÉ CHEZ J. F. STARCKE.

Liebenow

DE BELLI SERVILIS CAUSIS ET ORIGINE.

Generis humani historia arbori similis, quae infixis terrae radicibus, ramorum vi ac proceritate coelum quasi debitum divinitusque sibi promissum bonum expetere usque molitur. Uti vero inferiores sucoque carentes ramos interdum oportet rescindi, quo laetiores alacrioresque ceteri virescant novorumque genus promptius enascatur; sic etiam populos videmus, vigore fracto vel corrupto, paulatim exstingui locumque cedere aliorum integritati atque innocentiae, quibus solis concessum, nova altioraque attingere, et ita amplecti, ut in omnes tam privatae quam publicae vitae venas diffusa, civitatem amplificent majoremque evehant ad perfectionem. Illa rerum humanarum intelligendarum ratio, quum eadem simul verissima sit, sola animos nostros tristitia levare solatiumque nobis praebere potest considerantibus, quot gentes non externa tantum vi, verum etiam, quod multo magis dolendum, sua interierint culpa, eamque sortem potentissimis praesertim cecidisse populis, majoribus sane, quam quos unius impetus violentia de summo potestatis fastigio dejiceret, interiori vero morbo ac tabi haudquaquam resistentibus. Dubito an de ullo alio populo rectius hoc dicatur, quam de Romanis, utpote qui, a tenuissimis initiis orsi, virtute, constantia, morumque simplicitate orbis terrarum domini facti, ubi vetera illa bona per nova vitia defluxere; intemperantia, luxu, mollitie sibi ipsi perniciem paraverunt. Quos igitur nec hostium arma nec casus adversi vincere potuerant, vitia fregerunt, perpetuusque ille fortunae favor, quem ut ferrent paucis vix sapientibus viris, nedum universis nationibus contigisse neminem esse puto qui ignoret. Populo autem, licet potentissimo, ruinam atque interitum instare, nihil manifestius declarare videtur, quam discordiae civiles et arma, quae ad patriae hostes propulsandos sacrata sunt, legibus sanctissimis ferociter spretis et conculcatis, in civium viscera conversa. Qua calamitate in populi Romani historia tristiorem quidem ac foediorem invenias nullam, neque tamen non turpiorem deficientesque reipublicae vires magis detegentem; bella servilia dico, et prae ceteris illud, quod Spartaco duce gestum, urbi ipsi totique Romanorum impe-

rio promptissimum excidium afferre minabatur. Quanta indignatione hujusce in rempublicam saevissime irruentis tempestatis memoria etiam posterioribus temporibus Romanorum animos accenderit, Flori verba testantur exclamantis: „Enimvero servilium armorum dedecus feras, nam et ipsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum genus hominum sunt, et in bona libertatis nostrae adoptantur; bellum Spartaco duce concitatum quo nomine appellem, nescio; quippe quum servi militaverint, gladiatores imperaverint, illi infimae sortis homines, hi pessimam auxere ludibrio calamitatem." [1]) Quid quod tantum incendium tam parva scintilla suscitatum esse, nostri etiam animi admiratione moventur? Nihil nisi fortuitum tumultum brevissimo tempore tantas vires nancisci non potuisse, immo vero in ipso reipublicae statu jam pridem gliscens longeque serpens fomentum latuisse, primo jam adspectu intelligimus; belli autem illius atque immensi quod cepit incrementi causas, altius certe positas, accuratius requirere atque explanare, ut totam mali magnitudinem animo complectamur, omnibus absque dubio operae pretium esse videbitur, idque schedularum harum argumentum esse voluimus.

Causam principalem, licet remotiorem, belli servilis, sicut ceterorum malorum omnium, quibus inde ab iis temporibus, ubi Romani externos hostes timere desiverunt, respublica est afflicta, immensas atque ex omnibus terris congestas divitias nominarim. Incredibile enim est memoratu, quam immensum in modum post secundi belli Punici finem paucis creverint annis non modo reipublicae, verum etiam hominum privatorum divitiae atque opulentia, quantamque igitur in luxuriem mollitiemque inciderint Romani, tot bellis feliciter gestis, quae quidem haud ita multo sanguine, maxima vero veterum morum virtutumque parte iis constabant. Etenim non acquiescebant duces Romani in divitiis regum et populorum devictorum Romam contrahendis, sed gravissima praeterea iis injungebant tributa, [2]) quorum ingens auri argentique vis quotannis in Italiam confluens, omnia obruere videbatur. Perseo Macedonum rege devicto L. Aemilius Paulus majores attulit Romam divitias, quam ceteri omnes bellis superioribus, quae quantae fuerint, satis ex eo colligatur, quod ab eo tempore populus Romaus tributum pendere desiit. [3]) Quid igitur mirum, tanta divitiarum copia ingruente, effusam etiam majoribusque prorsus ignotam luxuriem irrepsisse,

---

[1]) Florus III. 20.
[2]) Liv. XXX, 37. XXXIII, 30. XXXVII, 45.
[3]) Plin. XXXIII, 3.

praesertim quum exercitus Romani, in provinciis nova voluptatum ac libidinum genera edocti, domum reversi, dulcedine earum carere nollent et ne posse quidem arbitrarentur. Nec quidquam valebant contra leges sumtuariae priscive Catonis ira ac severitas, ita ut, Carthagine deleta, nec ullo jam pari aut secundo Romanis armis hoste reluctante, crescens in dies luxuries veterumque morum contemtus non minus quam futuri provida Scipionis mens, quem Carthaginis ruinis insidentem lacrimas fudisse ferunt, pulcherrimi illius Romanorum imperii interitum portenderent. Non dies Cannensis, non Hannibal tanta rempublicam affecerant clade, quantam ei struebant devictarum Asiae provinciarum amicique regis Attali opes; civium enim animos sacra illa auri fame polluebant, quae, omni pudore honestateque abjecta, turpissima quaeque, ut expleatur, maxime requirere solet. Inde reipublicae munera ambitu et fraude auferre, provincias omnes diripere, socios opprimere, profana et sacra omnia juxta contemnere, ad extremum, quum foedissimae cupiditati ac profusioni ne maximae quidem suppeterent divitiae, ultima nequitia turpissimaque iniquitate id efficere, ut, paucis summa fluentibus luxurie ac deliciis, plurima civium pars miserrima premeretur inopia. Tanta auri fame omnium animos devinciente, quo alio quam praedae studio Romanos ad bella gerenda inflammatos fuisse credideris? quod quum expleverant, vel, ut rectius dicam, in tempus compescuerant, castrorum laboribus patriaeque saluti voluptatum dulcedines longe anteponebant. Quin pauperes ipsi segnius jam arma capiebant, probe scientes, se, etiamsi praedae spes non deesset, maxima tamen ejus parte ab optimatibus frustratum iri; ita ut nec sibi nec patriae, sed nonnullorum hominum saluti reipublicae hostes victuri essent. [1]) Itaque nimiis divitiis eo perducta respublica, ut auro abundans, ferro carere inciperet, graviusque cives suos desperatione confectos quam acerrimos hostes timeret. Praeterea, quum continuis bellis civium numerus valde diminueretur, ad frequentes manumissiones erat confugiendum, quo factum, ut in civitatis sinum acciperetur magna hominum turba, quibus quum nihil nisi noverca respublica esset, ad eam filiorum instar diligendam tuendamque animus non deesse non potuit. Laboris vero agrique colendi studio jam pridem ab illis hominibus neglecto, genita est illa plebs urbana, populi faex, quae suffragia et corpora plurimum licenti vendere semper promptissima, seditiones turbasque omnigenas exoptatas sibi habebat. Omnia illa, etsi non aperta, occultiora tamen belli servilis erant incitamenta, arctissime enim cum servorum gladiatorumque numero ac

---

[1]) Plut. Tib. Gracch. 8.

conditione et cum ceteris inde exortis malis cohaerebant, ad quae explicanda nunc progrediamur.

Prioribus reipublicae temporibus, quibus optimi civium mores simplicitate ac frugalitate continebantur, tantoque in honore erat agricultura, ut, quem virum bonum colonum dixissent, amplissime laudatum existimarent, [1]) paucis admodum servis contenti erant Romani, et quasi domus partem eos habentes, leniter ac benigne iis utebantur. Quam moderationem etiam postea summi viri, ceterorum intemperantiam neutiquam probantes, sanctissime observabant. Memoriae proditum est, Catonem, quum ad Hispaniam administrandam proficisceretur, tribus servis contentum fuisse, [2]) legimusque apud Athenaeum, Scipionem Aemilianum, cui, si voluisset, nulla res, quae ad vitae commoditatem pertinet, defuisset, in omnibus itineribus atque expeditionibus quinque tantum servos secutos esse. [3]) Quo vero plures a Romanis subactae sunt nationes, eo major non modo servorum numerus, sed etiam vilitas eorum exstitit, et imprimis post magnas victorias tenuissimi pretii erant, ita ut exempli gratia in castris Luculli quaternis denariis captivi venderentur. [4])

Servos publicos, partim ad magistratuum usum, partim ad sacrorum ministeria perficienda publico aere emtos, omittamus, quamvis eorum quoque turbam in tanto et tam vasto imperio non ita levem fuisse, facillime quisque habeat intellectu; animum admittamus ad ceteras eorum cohortes, ut illius servorum coacervationis, quae intra quinquaginta fere ante T. Gracchum annos Italiam inundabat, quaque nihil nec moribus nec ipsi reipublicae saluti perniciosius, vividam imaginem mente effingamus. Ingentes servorum familiae non modo ad labores domesticos perficiendos, sed etiam ad luxuriae ministeria administranda a civibus opulentis alebantur, eoque minus pro utilitate quam pro pulchritudine atque iis artibus, quae delicatioris vitae sunt instrumenta, aestimabantur; quo enim quisque libidinibus explendis magis inserviebat, eo carius avidiusque emi solebat. Itaque coquos, despicatissimos antea servos, insana epularum progidentia brevissimo temporis spatio supra quam cui credibile est adaucta, maximi mox faciebant; nec minoris habebant tibicines, cantrices, citharistrias et, ut Luciani verbo utar, μουσουργούς omnes, quibus, ne venter solus in conviviis

---

[1]) Plin. XVIII, 3.
[2]) Val. Max. IV, 11.
[3]) Athen. VI, 105.
[4]) Plut. Lucull. 13.

delectaretur, uti assueverant; quin formosum puerum ingenti talenti pretio emere nonnullos non puduit, [1]) quamvis contra, ut supra memoravimus, vulgares servi minimi constarent. Ut vero immensum servorum numerum satis comprehensum habeamus, distinctissima eorum ministeria, quibus singulis peculiare servorum genus addictum, et quae insuper luxuria in dies augebat, in memoriam nobis revocemus. Alii praeterea servi domino, alii uxori ejus, alii liberis educandis destinati, quo factum, quum minima in iis deligendis cura adhiberetur, ut inde a teneris unguiculis malis moribus artibusque liberorum animi plerumque imbuerentur. Non minor servorum numerus cujusvis generis opificia in quaestum atque utilitatem domini exercebat. Cui familiae urbanae rusticam adjicias, servos illos, quos divites, minimi emtos, centenos millenosque in villas latifundiaque dispertiebantur, ut ibi non solum agrum colerent, pecorum pratorumque curam agerent, verum etiam maximas exstruerent aedificiorum moles. Villae mari injectae, mare terrae immissum, opera portentis similia, ad fortuitas divitum cupiditates explendas suscepta, in Campania aliisque Italiae inferioris partibus admirantium oculis sese offerebant. Lucullus, ut recentem incorruptamque maris aquam pisces sui haberent, montes subverti, profundissimas piscinas effodi, immensasque lapidum moles in mare exaestuans inaedificari jussit. [2]) Quot manibus ad tam monstruosa opera molienda perficiendaque opus fuisse censemus? Num, hisce animo conceptis, veri fines nobis excedere videbitur Plinius narrans, Caecilium Claudium Isiodorum supra quatuor milia servorum reliquisse, [3]) et alio loco, in domos mancipiorum legiones et turbam externam ita conjectam fuisse, ut servorum causa nomenclator ipsi domino habendus esset. [4]) Ipse ingens ille servorum numerus, exceptis, qui ob singulares, quae in iis elucerent laudes, maximi aestimarentur, singulorum pretium deprimebat; quo evenit, ut domini, nihili fere eorum vitam pendentes, male plerumque et durissime eos adhiberent, immo etiam sceleratissime in eos saevirent, obliti scilicet, se non rebus sensu carentibus sed hominibus abuti. Conditione igitur intoleranda durioreque, quam ratio humanitatis servo et domino communis exigeret, maxima erat servorum cohors, pecudumque potius quam hominum numero censebatur. Nec non sentiebant Romani, se contumeliosissime

---

[1]) Polyb. II. pag. 1458 ed Gronov.
[2]) Plut. Lucull. 39.
[3]) Plin. XXXIII, 10.
[4]) Plin. XXX, 1.

superbissimeque in eos consulere. Senecam audias: „Alia interim crudelia et inhumana praetereo, quod nec tamquam hominibus sed tamquam jumentis abutimur." [1])

Quibus majorem ut adjicias fidem, varias et crudelissimas servorum poenas, ob minima saepissime delicta, nec pro peccati magnitudine, sed pro domini arbitrio de iis sumtas, memineris, recorderisque illud Terentianum:

herus si redierit,
Molendum usque in pristino, vapulandum, habendae compedes,
Opus ruri faciundum. [2])

Nec vero omnes poenas servus Terentianus recenset, adjicienda praeterea furca et crux, aliaque supplicii genera minus usitata, quae omnia, gravioribus delictis reservari solita, non ita raro tamen adhibebantur, ut epitheta servorum furciferi et cruciarii satis declarant. Eadem illa Terentii verba innuunt, servos durius ruri quam intra urbem habitos fuisse. Domini eos gravissimis laboribus oppressos, pannis obsitos, tenuissimo victu alebant, et insuper non noxios tantum, quos ingenio contumaces et malitiosos deprehendissent, sed innoxios etiam imprimisque corpore valentes, metu seditionum et fugae noctu in ergastulis, carceribus illis subterraneis, inclusos tenebant. Quum autem fuga se tantae dominorum saevitati eripere tentassent, nullam illi ad eos indagandos in servitiumque reducendos operam non impendebant; libello proposito vel per fugitivarios requirendos eos curabant, mercedem refugium illorum indicaturis pollicentes. A fuga vero retractis stigmata fronti inurere, collaria inscripta et compedes injicere, capillique partem radere, leviores poenas esse saepe domini censebant; ad bestias etiam vel ad metalla eos damnabant, cruci affigi vel in ludum gladiatorium detrudi jubebant. At iis etiam, qui gravissima illa supplicia effugerant, tristissima sors manebat. Testis Plinius: „At nunc eadem illa (latifundia) vincti pedes, damnatae manus, inscripti vultus exercent." [3]) Optime vero miserrimam eorum conditionem cultumque asperrimum terrificis coloribus depinxit posterioris aevi scriptor Appulejus: „Dii boni, inquit, qualis illi homunculi, vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorsum plagosum scissili centunculo magis inumbrati quam obtecti, nonnulli exiguo tegili pubem tantummodo injecti, cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes literati et capillum semirasi et pedes annulati.

[1]) Sen. epist. 47.

[2]) Terent. Phorm. II. 1.

[3]) Plin. XVIII, 4.

lati." [1]) Tristissima illa imagine animo concepta, quis crediderit, miserioris etiam ac contemptioris conditionis tunc temporis homines vixisse, et tamen vixerunt.

Servis vita saltem, quamvis miserrima et dominorum crudelitati obnoxia, concessa, gladiatores vero caedi devoti homines, nullum alium in finem, quam ut spectaculo oblectaminique populo essent, ad mortem audacter et impavide subeundam a lanistis instituebantur. Saevissimam illam populi voluptatem ex religione quadam ortam esse, nemo nescit. Antiquitus enim ad sepulcra virorum fortium, quo manes eorum pacarentur, captivi hostes necati, deinde captivi illi, ut pugnantes invicem se occiderent spectatorumque oculos morte sua oblectarent, inter se sunt commissi, et quum non semper praesto essent captivi, ii etiam, qui jam prius sceleris cujusdam causa capitis damnati essent, ad certamen illud adhibiti; denique vero servi, nullo saepe scelere admisso, ad novum illud supplicii genus traditi. Illum gladiatorum usum, ut in defunctorum honorem dimicarent, usque ad tempora post secundum bellum Punicum observatum fuisse invenimus, testemque habemus Livium referentem, ad P. Licinii Crassi pontificis maximi exsequias splendidissime institutas centum viginti gladiatorum paria pugnasse. [2]) Mox vero illorum ludorum studium tantopere Romanorum animos invasit, ut in funeribus tantum ea spectare nequaquam essent contenti, optimatesque nullo alio modo promptius tutiusque populi gratiam inirent, quam ludis gladiatoriis edendis. Nec unquam lege cautum est, ut minor in iis adhiberetur crudelitas gladiatorumve numerus, saepius vero, ne illorum munerum illecebris nimiam et reipublicae saluti periculosam auctoritatem et potentiam adpiscerentur editores. Nullum profecto spectaculi genus Romanorum oculis gratius amoeniusque fuisse Ciceronis verbis liquet: ,,Equidem existimo, nullum tempus frequentioris esse populi, quam illud gladiatorium, nec concionis ullius, neque vero ullorum comitiorum." [3]) Eo autem denique ludorum illorum spectandorum sanguinisque humani oculis hauriendi provecta est insania, ut ingenui etiam, pugnandi plaususque auferendi cupiditate incensi, lanistis se venderent descenderentque in arenam. Nulla jam aetas et ne feminae quidem ludis illis se satiari posse arbitrabantur; non aestus, non imbres spectatores, quominus affluerent, retinebant, diesque ipse feroci libidini explendae saepius non sufficere videbatur. Quin optimi et ingenio praestantes viri, virtutum amore et vitiorum odio insignes, ludos illos virtutis corroborandae et mortis

[1]) Appul. IX.

[2]) Liv. XXXIX, 46.

[3]) Cic. pro Sext. 59.

contemnendae incitamenta ducere sustinuerunt. Ciceronem audias: „Crudele, inquit, gladiatorum spectaculum nonnullis videri solet, et haud scio an ita sit, ut nunc fit. Quum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina." [1]) Crudelitatem igitur illorum ludorum non negat, necessaria autem ei esse videntur propter utilitatem. Eodem loco Cicero fortitudinem animique constantiam gladiatorum describit. „Gladiatores, inquit, aut perditi homines aut barbari, quas plagas perferunt? quo modo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare; quam saepe apparet nihil eos malle, quam vel domino satisfacere; vel populo? mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quaerant, quid velint; si satisfactum iis non sit, se velle decumbere; quis mediocris gladiator ingemuit, quis vultum mutavit unquam? quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis quum decubuisset, ferrum recipere jussus, collum contraxit?"

Quae si mireris, reputes tecum, gladiatorum in ludo inclusorum vitam non minus quam mortem miseratione dignissimam fuisse. Quum enim in universum multo fortiores audacioresque essent quam servi, arctius etiam tenebantur inclusi, eoque crudelius a lanistis habebantur, quod ad fugam et seditiones semper protervi, libertatis impetrandae causa, vitam, quae ex presso aut verso spectatorum pollice plerumque pendebat, in discrimen vocare nunquam recusabant.

Illa servorum gladiatorumque tractandorum ratione quantum odium in dominos conflatum, quantumque inde libertatis et ultionis desiderium excitatum! — Ingentem eorum turbam, si magna quaedam seditio exarsisset, vehementer esse timendam, satis sibi persuasum habebant Romani, ejusque formidinis conscientiam minime fuisse occultam, Varronis consilium indicat dominos hortantis, ne nimios ejusdem nationis servos in eadem villa haberent, id enim ansam esse seditionis. [2]) Narrat etiam Seneca, in senatu dictam esse aliquando sententiam, ut servos a liberis cultus distingueret; deinde vero apparuisse, quantum periculum immineret, si servi liberos numerare coepissent. [3])

Nec tamen ille seditionum timor divites deterrere potuit, quominus servos gladiatoresque ad ultimum ferocitatis ac violentiae ipsi incitarent; etenim quasi instrumentis quibusdam capessendae et ad arbitrium suum regendae reipublicae iis ab-

---

[1]) Cic. Tusc. quaest. II, 17.

[2]) Varro de re rust. I, 17.

[3]) Seneca de clementia I, 24.

uti nihil erubescebant. Gladiatorum servorumque turba stipati comitia forumque inire solebant, summas reipublicae dignitates legesque, quae sibi placerent, vi populo extorturi, competitorum vero adversariorumque sectatores armis depulsuri, ita ut ad pugnae discrimen saepe provecti, fori urbisque sanctitatem civium sanguine polluerent. Quae quum ita essent, fieri non potuit quin Romani cum servis gladiatoribusque pugnarent. Ex fortissimis enim illius temporis nationibus, e Gallis, Germanis Thracibusque plurimi eorum erant desumpti, qua de causa internecivum illud odium, quo dominos perhorrescebant, occasione oblata, in seditiones, et si res prospere cessisset, in foedissima bella erumpere oportebat. Sic Sicilia, provinciarum ditissima, gravissimis bellis afflicta, exercitus reipublicae trucidati, Romanique nominis gloria servorum fortitudini obnoxia. Longe vero atrocissimum exstitit bellum reipublicae a Spartaco illatum, cujus in immensum aucti peculiares praeterea causae exstant. Ipsius Spartaci ingenium in iis minime omittendum, et dignissimus quidem ille dux, de quo paulo uberius agamus.

Fuit igitur Spartacus natione Thrax, e genere eorum, quos nomades vocant, a parvo quodam Thraciae oppido originem et nomen trahens. De prioribus vitae ejus annis nihil fere ab historicis posteritatis memoriae traditum. Quod tamen ad varios attinet casus, quibus, antequam servorum exstitit dux, huc atque illuc est jactatus, haec fere habemus relata: Spartacum bello captum in servitutem esse abductum, quam quum ferre non potuisset, aufugisse et mercede militasse, mox autem illius quoque vitae generis pertaesum signa deseruisse, per aliquod tempus latrociniis vitam tolerasse, denique vero in ludum gladiatorium Batiati cujusdam Campani esse delapsum. Refert praeterea Plutarchus, quum primum venalis in Italiam esset deductus, anguem dormientis caput cinxisse, uxoremque ejus fatidicam Bacchique mysteriis initiatam praenuntiasse, portentum illud esse magnae terribilisque potentiae, laetum in exitum desiturae. Summi vero momenti Plutarchi de eo testimonium, dicentis: non solum animi corporisque viribus, sed etiam prudentia et moderatione eum conditione sua multo meliorem, Graecique magis quam Barbari similem fuisse. Contra Romani nominis scriptores propter generis obscuritatem infimamque gladiatoris conditionem ignominiose eum proscindentes, de praeclaris indolis atque ingenii ejus bonis dixerunt nihil, sed haud scio an magis quam illo silentio eum collaudare potuerint; fortitudinis enim, prudentiae et modestiae laudem ei denegare nemo ausus est, satisque inter omnes constat, id proprium esse historicis Romanis, ut reipublicae amore obcoecati, suorum facta omnibus laudibus efferre, alienam vero gloriam dimi-

nuere aut tacere nefas atque impium non haberent. [1]) Spartacum summi excellentissimique ingenii ducem fuisse ipsius victoriae hostiumque clades amplissime docent; ingenti enim fortitudinis ac consilii ope id effecit, ut Romani in ipsa urbis vicinitate dimicare cogerentur cum hoste, quem antea vilissimum habuerant, cujusque arma, nisi incondita servorum turba impedimento ipsi fuisset, difficilius etiam ab aris focisque arcuissent.

Fortunam praeterea jam inde ab initio Spartaci coeptis adspirasse fateamur oportet. Nihil enim ad turbas serviles excitandas in majusque augendas opportunius quam ipsa provincia Campania, praeter omnes ceteras Italiae regiones servis gladiatoribusque referta. Illic maximae frequentissimaeque divitum villae, foedissima servorum ergastula plurimique gladiatorum ludi. Quapropter quum insigni audacia, qua in monte Vesuvio Claudii Pulchri praetoris manus effugerat copiasque ejus trucidaverat, Spartaci nominis gloria tota jam Italia percrebrescere coepisset; maximae extemplo servorum gladiatorumque catervae custodiis effractis ad eum accurrebant, eoque alacrius ducem agnoscebant, quod compertum habebant, illum communis praedae solum expertem suis colendis armandisque omnia impendere. [2]) Nec jam deerant liberi homines, qui fortunam ejus cupidissimo amplecterentur. [3]) Quum enim divites per servos omnia illa perficienda curarent, quae antea a liberis confecta, victum iis simul cum labore praebuissent, eoque magis servos ingenuis anteponere illicerentur, quod servi ad stipendia merenda nunquam requirerentur, et praeterea fecunditate novas pollicerentur divitias; quis est qui non videat, illa servorum occupandorum ratione pauperes, quo minus manuum mercede inopiam tolerarent, omnino fuisse impeditos? Ad eandem miseriam alii etiam divitum iniquitate atque immanitate erant redacti; ut enim adauctorum in dies servorum manibus maximo cum fructu uterentur, terras ingentes coëmebant, pauperesque vicinos, quorum agros concupiscerent, aut qui molestiores visi essent, vi laribus expellebant. Omnes illi homines, quibus nihil relictum nisi aer et lux, firmo adeo ac tuto cubili, quod ne bestiis quidem recusatum, egentes, ne fame perirent, ad furta latrociniaque se convertere iniquissima vitae conditione [4]) erant coacti.

---

[1]) Plut. Crass. VIII.; Appian. bell. civ. I, 423., Athen. V. 104. Flor. III, 20. Vellej. II, 30.
[2]) Plut. Crass. 9. Frontin. I, 5, 21. Appian. bell. civ. I, 421.
[3]) App. ibid.
[4]) Plut. Tib. Gracch. 8.

Summo igitur ardore ad Spartacum tanquam ad injuriarum ultorem confluxerunt, tandem aliquando tempus adesse rati, quo divites injustitiae et nequitiae poenas essent daturi. Ex vicinis provinciis, e Lucania, ex Apulia, e Marsorum et Samnitium finibus non pauciores ad Spartacum se congregavere; quo minor enim in iis servorum numerus, eo acerbiore odio incolae, quibus belli socialis memoria mentibus nondum exciderat, in Romanos ferebantur, et prae caeteris Samnites, ex recentibus Syllae crudelitatibus adhuc sanguine madentes, civium caedes, oppidorum incendia, agros vastatos Romanisque veteranis dono datos ulcisci exardescebant. Quae quum ita se haberent, fugitivorum numerus ad amplius decem milia hominum brevi accrevit, [1]) qui tamen Spartaco contra legiones Romanas nihil profuissent, nisi ad eos armandos disciplinaeque legibus submittendos ingenii vis ei suppeditasset, quae tamen tunc splendidissime eluxit. Arma, quae in Clodii praetoris castris invenerat, tantae multitudini sufficere nequibant; itaque repente incautos agros invadere, arma atque equos undique colligere suos jussit, et quum nondum adfatim armorum adesset, pastoribus e Lucaniae montibus degressis, idque laboris genus ad vasa agrestia conficienda edoctis imperat, ut scuta in formam parmae equestris e viminibus necterent, tegerentque ea coriis recentibus pecori detractis. Simili modo e ferro undique conquisito et ex ipsis ergastulorum catenis recoctis, galeas, thoraces, hastas gladiosque fabricavit, domitisque obviis gregibus, equitatum paravit. [2])

Servis ita armatis et ad Romani exercitus exemplum instructis, omnes reipublicae copias contra se missas fugavit, et ex unaquaque victoria nova fugitivorum multitudine auctus, formidolosior in dies hostibus evasit. Eo difficilius autem tanti belli molem Romani sustinebant, quod praestantissimi temporis illius duces tum maxime Italia excesserant; Pompejus enim in Hispania contra Sertorium pugnabat, et in Asia Lucullus Mithridatis conatus reprimere nitebatur. Nec Crasso contigisset, ut Spartaci victoriis finem imponeret, nisi veterem disciplinae rigorem diu neglectum, immo in lasciviam contumaciamque conversum, summa severitate apud milites suos restituisset, ignavisque decimatis id effecisset, ut ipse a suis magis quam hostis timeretur.

---

[1]) App. ibidem; Florus III, 20.
[2]) Sallust. fragm. III, 77—80; Flor. III, 20.

Liebenow.